

scriptis — nostrum consensum expressum adhibuimus et adhibemus per praesentes, et in signum huiusmodi nostri consensus sigillum nostri capituli praesentibus est appensum.

Nach zwei im Stiftsarchiv zu Meissen befindlichen Originalen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels (das letztere ist bei B verschwunden) an Pergamentstreifen.

No. 512. 1359. 6. Sept.

B. Johann stiftet und dotirt zwei Vicarien in der Domkirche und gibt hinsichtlich einer derselben besondere liturgische Vorschriften.

Ad diva mens vivacitate tunc humana sagaci volvitur, dum ad datoris bonorum omnium magnificentiam sanctorumque suorum honorem pariter et gloriam datum Christi fidelibus ab eodem, qui pater est luminum, hilariter retorquetur. Nos igitur Johannes dei gratia episcopus ecclesiae Missenensis praemissorum salubritatem pia aviditate pensantes, felicitatis propriae remedium animae quoque singulare devotione nobis a deo inspirata complectentes duas vicarias in ecclesia nostra Missenensi perpetuas congruis dotibus reddituatas ac redditibus competentibus dotatas, videlicet decem et octo marcis, quas a Johanne Brandeys¹⁾ in villa Dûben²⁾^{a)} prope opidum Würczin sita et septem sexagenis cum quadraginta tribus grossis latorum annui census, quas apud heredes Johannis dicti Dragûsch opidani in Hayn, in villa Ebirsbach sita in districtu Haynensi nostra pecunia comparavimus cum altaribus, quorum unum in honorem sanctorum Basilii confessoris et pontificis et Barbarae virginis ac martyris, reliquum in honorem sanctorum Bartholomei apostoli, nec non Alexii confessoris consecravimus fundavimus ereximus et creavimus iuxta modum inferius annotatum. Vicarii enim dictorum altarium, qui pro tempore fuerint, praedictum censum in memoratis villis et alia emolumenta exinde evenientia aequaliter inter se dividunt, et vicarius etiam, qui ad altare saepedictorum sanctorum Basilii et Barbarae institutus fuerit, singulis annis in quolibet dictorum festorum canonicis et vicariis perpetuis et temporalibus ministrare debet ac tenebitur unam sexagenam latorum cum duodecim grossis, omnibus quibus amministrationes in choro dari consueverant interclusis. Vicarius vero altaris sanctorum Bartholomei et Alexii similiter in festivitibus sanctorum Bartholomei et Alexii singulis annis modo quo praemissum est, amministrationem faciet, ita tamen, quod in vigilia beatae Barbarae in vesperis antiphona ‚ortodoxe‘ super magnificat, in missa ‚alleluia eclipsatos‘, in vigilia beati Basilii in vesperis antiphona super magnificat ‚celsum vocis‘, in missa ‚alleluia pie pater‘ cum sequentia ‚felix mater‘, in vigilia vero sancti Bartholomei in vesperis super magnificat ‚eximie Christi‘, in missa ‚alleluia Bartholomeus‘ cum sequentia ‚falus mellis‘ et in vigilia sancti Alexii super magnificat antiphona ‚fraudis commenta‘, in missa ‚alleluia o Alexi‘ cum sequentia ‚falleratus vitiis‘ sollempniter decantentur; appropriantes annectentes ac incorporantes praefatis vicariis et altaribus saepedictum

1) Brandeiz B. 2) Dûben B.

a) Deuben, Par. Nepperwitz. Vgl. no. 508.